




2
6
518






Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 2.6.518/a

S. EPHRAEM SYRI PATRIS, ET SCRIPTORIS

Ecclesiæ antiquissimi, & dignissimi.

In Natiuitatem, & Epiphaniam Domini

CANTICA

NVNC PRIMVM EX SYRIACA EIVSDEM S. PATRIS vernacula lingua Latinè reddita.

STVDIO, ET OPERA IO. BAPTISTAE MAR Collegiatæ Ecclesiæ S. Angeli in Foro Piscium Canonici vulgata.



R O M Æ,

Apud Franciscum Monetam. MDCXLV.

Superiorum permissu.

EMINEN.MO AC REV.MO PRINCIPI
FRANCISCO CARDINALI
BARBERINO S. R. E. VICECANC.RIO

Io. Baptiſta Marus . F.

SECVNDIS apparemus coram Eminentia tua non vacui,ſi animum ſpectemus eruditioni, & pietati, quibus excelles, addictum. Si nuper in quibuſdam S. Auguſtini ſermonibus placuimus, nunc in Auguſtiſsimi Infantis laudibus ex Orientalium theſauris erutis, quin placeamus, dubium non eſt: Accipe igitur non aurum, nec myrrham,ſed thus piæ deuotionis; reliqua ipſi præſtabunt Magi, & tenellus Infans, cuius has velut faſcias Eminentiæ tuę hoc xenio pro ineuntis anni auſpicijs dico. Vale.

LECTOR

PRO ſtrenis huius anni Quadrageſimiquinti, qui in omnibus ſæculis myſterioſus fuit, damus tibi hoc xenium; accipe pio, & deuoto, quos nos offerimus animo, vt creſcat deuotionis affectus tum erga Deiparam Virginem, eiuſque dulciſsimum natum Orbis Redemptorē, tum ad cognoſcēdum erudita pietate Trium Magorum, eorumdemque Regum Religionem, vt qui Primi Prædicatores Chriſti à quibuſdam Sanctis Patribus vocantur: Horum feſta memoria à multis ſæculis celebris fuit, immo ob hiſtoriam ipſa ſui cognitione vagam varijs interdum implexa commendationibus, quæ proinde in Apocrypha excuſabilis deuotionis errore degenerauit. Eorum tamen exactam hiſtoriam inter recentiores ſcripſit nuper piè, doctè, & eruditè Pater Melchior Inchofer è Societate Ieſu, cui, quæ deſunt antequam ipſe à reſidua parte tabulæ manum retrahat, hiſce nos præludimus, quæ ſi ipſe nactus fuiſſet, procul dubio aliquid ornamenti ſuis lucubrationibus hinc addidiſſet. Quod modò monemus Lector aduertas oportet, hęc, quę tradimus, excerpta eſſe ex antiquiſſimo m.s. Breuiario, vſu recepto, Collegij Maronitarū, cuius author, vt fama conſtans eſt apud omnes Orientales, eſt Doctiſsimus, atque ſanctiſsimus Ephræm Syrus,

eaque

eaque nos habere ex erudita verſione perdocti viri Abrahami Ecchellenſis Maronitæ è Libano Philoſophiæ, ac Theologiæ Profeſſoris & Orientalium linguarum in Almo Vrbis Gymnaſio publici Lectoris, qui in pluribus lucubrationibus ſemper Reipublicæ ſtudet prodeſſe, tum maxime in ijs, quæ ad pietatem, & ſanctitatem ſpectant, omne ſuum ſtudium confert. Quod noſtrum hoc loco eſt, ſcias, noſtro deſiderio & impulſu feciſſe illum, vt hæc vulgarentur, & ne nobis ſolum placeremus, eadem publici iuris eſſe voluimus, vt inter cætera, quæ affecta in ſimili genere ad manus ſunt, hoc quoque argumento tibi placeremus. Intelligas etiam hic interpretem non elegantiæ orationis, & lepori ſtuduiſſe, ſed vt verba ex verbo, quàm fieri potuit, redderet manente ſenſu integro, eaque proinde non tibi videri debent rudia, cum non rudem, ſed doctam contineant pietatem ad profectum ſpiritus valdè vtilem. Quod adhuc noſtrum eſt, præter deſiderium placendi in omnibus, quæ edituri ſumus, in præſenti Opere hoc ſolum monemus, reflectendam eſſe cogitationem ad ea, quæ olim circa hanc Magorum hiſtoriam vulgata erant maximè apud Orientales, ne circa ea, ex ijs, quæ poſtea innotuerunt, tricari velis; in pluribus enim differunt Orientales ab Occidentalibus; ſed citra offenſionem pietatis, inter quæ, vnum eſt illud, quod ſtellam ipſam quidam Angelum putauerunt,

eum-

eumdemque Gabrielem Archangelum mysterij Redemptionis ad B. Virginem Euangelistam, quod tamē aliter visum est recentioribus, vt Angelum, non ipsam stellam, sed latorem stellæ opinarentur, de quibus vide dictum Patrem Melchiorem. Plus etiam refert animaduertere, non hìc induci B. Virginem tanquam si à Magis edoceri cuperet de mysterio, de quo potius ipsi à Virgine docendi erant, vt cæteri plerique, sed duplici de causa id factum est, Primò, vt ad imitationem quæstionis cum Angelo habitæ, tametsi Virgini non esset occultum mysterium, ad erudiendam Ecclesiam, deinde, vt dialogisticè induceretur Virgo tãquam examinans eos ad plausum de nouo Rege iucundè captãdum, quod ipsi dubio procul reuelatione iam prius docti cognouerant; & ideo præ gaudio cordis Matri eiusdem annunciabant, non tanquam ignoranti, sed potius circuitione piarum quęstiũcularum affirmanti, vt plerunque in similibus esse solet. Hæc paucis, reliqua tu pro tua, Lector, pietate cum affectu considera, & nobis faue, qui omne studium nostrum eò conferimus, vt omnium hoc genus antiquitatum abstrusa quæuis, & recondita monumenta scrutemur, & in tuam vtilitatem publici iuris faciamus, quod etiam nuper fecimus in edendis quibusdam S. Augustini sermonibus. Vale.

SANCTI EPHRÆM SYRI IN NATIVITATEM DOMINI CANTICVM.


IGILES ecce exultant hodie, quòd Vigil venit, vt nos
vigilare faciat.
Hac nocte ergo quis dormiet, in qua mundus totus vigilat?
Quia suis peccatis Adam induxit somnũ mortis in mundũ,
Descendit vigil, vt nos vigilare faciat à seruitute peccati.
At ne vigilemus vt fœneratores, qui de argento, quod fœnerati sunt
Cogitant, noctuq; multùm vigilant ad computãdum sortem, & fœnus.
Nec vt fures vigilemus, qui somnũ in terra defodiunt suũ, totaq; ipsorũ
Vigilantia incumbit, vt dormientibus suspiria pariat.
Nec vigilemus vt prodigus, qui crapulæ deditus cecidit in pauperiẽ, eiusq;
Vigilantia peperit illi cruciatum, quòd moderatè non vixerit.
Nec vigilemus vt mercator, qui noctu micat digitis, vt suum computet
Talentum, an duplo, triploque sit auctum.
Nec vigilemus vt diues, cuius somnum excusserunt diuitiæ, canesq; eius
Dormiunt, & ipse vigilans suas opes obseruat à furibus.
Nec vigilemus vt auidus, cuius somnum absorbuit auiditas,
Illiq; finis cum instet, assideatq; Puluino, tamen solicitus est in annos.
Diabolus enim vigilantiam pro vigilantia venditat, ac docet, vt
Bonis quidem dormiamus operibus, malis verò impensè vigilemus.
Iudas quoque Iscariotes tota nocte vigilabat, tamen sanguinẽ vendidit
Innocentem, qui totum mundum redemit.
Scribæ etiam filij tenebrarũ tota nocte vigilabant, vigilarunt tenebrosi,
Vt tenebras obducerent lumini illi immenso.
At vos vt luminosi vigilare satagite in hac nocte luminosa,
Quæ colore etsi nigra, virtute gloriosa est, ac splendida.
Nè decipiamur ergo dilectissimi, quòd vigilamus; nam qui pro meritis
Non vigilat, expedientius illi est, vt non vigilet.
Qui dignè non vigilat, eius vigilantia dormire est, & qui purè
Non vigilat, eius vigilantia contra se est.
Vigilantia quoque inuidi est illi Vrceus detrimenti, eiusq; vigilantia
Est mercimonium derisione plenum, & contemptu.

Iracundus si vigilat, ab iracundia eius perturbatur vigilantia,
Eritq; ipsius vigilantia furore referta, & blasphemijs.
Loquax si vigilat, os eius vector fiet, ad vulnera infligenda
Sollicitum, ad orationes verò effundendas pigrum.
Prudens, ac discretus vnum è duobus sibi eligit;
Aut enim dormit suauiter, aut verò sanctè vigilat:
In nocte pura, qua purus ortus est, qui nos puros reddere venit,
Nihil impurum admittatur, quod vigilantiam nostram conturbet.
Semita aurium pura reddatur, conspectus oculorum pudicus
Exhibeatur, cogitatio cordis sancta fiat, loquela oris purificetur.
Quis sat est ad laudandum filium veritatis, qui nobis ortus
Est, quem in suis generationibus videre desiderarunt Iusti?
Adam expectauit illum, cum sit Dominus Cherubim, ipseque poterat
Solus illum ad arborem reducere vitæ.
Abel quoque desiderauit, vt suo veniret tempore, vt pro agno,
Quem obtulit, agnum Dei videre posset.
Eua expectauit illum, quia nudatio plurimùm ipsam angebat,
Illeq; solus poterat pro folijs induere eos gloria, quam amiserant.
Turris, quam plures extruxerunt, vnius designabat mysterium,
Quòd descensurus erat ædificare Turrim, qua ad Cœlum scanderetur.
Arca quoque animalium typum Domini referebat, quòd ipse ædificaret
Ecclesiam, in qua protegerentur animæ
Phaleg, in cuius diebus terra diuisa est in septuaginta linguas,
Expectauit illum, qui terram linguis diuisit Apostolis suis.
Terra, quam diluuium inundauerat, Dominum suo designabat silentio,
Qui descendit, & aperuit Baptismum, quo ad Cœlum feratur.
Seth, Enos, Cainan, & Enoch, qui filij Dei cognominati sunt, filium
Dei expectarunt, vt illi per gratiam fierent fratres.
Paulò minus, quàm annos mille vixit Mathusalem expectans
Filium, vt vitam ei tribueret, quæ nunquam deficiat.
Ipsa gratia conatu quodam pro illis deprecata est, vt eorum
Tempore veniret Dominus, ipsorumq; leuaret necessitates.
Spiritus enim sanctus, qui in illis pro illis secretò rogabat, indicauit
Eis quod eodem Spiritu viderint Saluatorem, quem desiderabant.
Anima iustorum in eo fructu vitæ inesse medicamen præsensit,
Optauitq; vt suis diebus veniret, vt eius gustaret dulcedinem.
Enoch exoptauit eum, cumq; in terra eum videre non potuisset,
Fide & operibus auctus, vt ascenderet in Cœlum videre illum.

Qùis calumniari poterit gratiam, quia donum, quod magno labore
Consequi non potuerunt priores, gratis consecuti sunt posteriores?
Ipsum quoque Lamech expectauit, vt veniens sua pietate illum
Leuaret ab operibus manuũ, laboribus, ac terra quã Iustus maledixit,
Cumq; vidisset ipse Lamech, quod Noe filius suus mysteria filij
Gereret, loco Domini remoti solatus est mysterio proximo
Vt illum videret, & Noe exoptauit, quia eius prægustauit opem
Etenim si typus eius animalia seruauit, Archetypus ipse quã vitã dabit
Ipsum expectauit hic Noe, & experientia didicit, per ipsum arcã stetisse.
Si ergo typus eius ita saluat, Archetypus ipse quanta præstabit?
Spiritu præsensit Abraham, quòd filij longè distaret natiuitas,
Quare loco ipsius personæ diem ipsius videre desiderauit.
Vt illum videret Isaac impensè desiderauit, nam salutare prægustauit
eius; si ergo typus eius ita saluat, Archetypus ipse quanta præstabit?



EIVSDEM SANCTI EPHRÆM SYRI
DE MARIA, ET MAGIS
CANTICVM.


ATO filio lumen affulsit,
Et ex mundo tenebræ fugatæ,
Illuminatusq; est Orbis,
Laudes ergo referat nato, qui illum illuminauit.
Ortus est ex vtero Virginis,
Eoq; viso defecerunt vmbræ,
Et tenebræ erroris ab eo expulsæ,
Orbisq; totus illustratus, laudes ergo illi referat.
In populis tumultus magnus factus est,
Et lumen ortum est in tenebris,
Exultaruntq; gentes, vt laudes referant
Illi, qui sua natiuitate illuminauit eas.
Immisit in Orientem lumen suum,
Et syderis fulgore illuminata est Persis;
Ortus inuitauit, & annunciauit ei,
Ad victimam iam venisse omnes exhilarantem.
Præcurrens luminare affulsit
Inter tenebras, & vocauit
Populos, vt venientes fruerentur
Magno illo lumine, quod in terram descendit.
Vnum ex stellis nuncium
Misit Aeter ad annunciandum
Persis, vt sese pararent
Occurrere Regi, & adorare illum.
Magos vocauit, & dixit eis
Magna Assyria, cum præsensisset:
Accipite munera, & ad honorandum festinate
Regem magnum, qui in Iudæa ortus est.
Exultantes igitur Principes Persidis
Ex sua regione acceperunt munera,
Et Filio Virginis attulerunt

Au-

Aurum, Myrrham, & Incensum.
Ingressi vt infantem repererunt illum
In domo iacentem Pauperculæ,
Ac procidentes exultando adorauerunt eum,
Et suos ipsi obtulerunt thesauros.
Maria. *Dixit Maria: cui hæc?*
Et adquid? & quæ causa
Vocauit vos ex vestra regione,
Vt ad puerum cum thesauris vestris veniretis?
Magi. *Respondent illi: Rex est Filius tuus,*
Et diademata connectit, cum sit Rex omnium,
Altiusq; mundo est Regnum eius,
Ac Imperio ipsius singula parent.
Mar. *Quando contigit hoc vnquam,*
Vt paupercula Regem pariat?
Inops sanè sum, ac egena,
Vndeq; mihi erit, vt Regem pariam?
Mag. *Tibi soli hoc contigit Virgo,*
Vt magnum Regem parias,
Et per te magnificabitur paupertas,
Filioq; tuo subijcientur diademata.
Mar. *Non sunt mihi Gazæ Regum,*
Nec diuitiæ vnquam mihi obuenerunt;
Domus en paupercula est, & vacuum domicilium,
Cur ergo Filinm meum Regem prædicatis?
Mag. *Gazæ magnæ est filius tuus,*
Et diuitiæ, quæ omnes ditare valent;
Gazæ namque Regum deficiunt,
Ille verò nec deficiet, nec mensurabitur.
Mar. *Nè alius fortè sit vester*
Rex, qui natus est, hunc perquirite;
Etenim hic pauperculæ est filius,
Quæ Regem vel videre nequit.
Mag. *Numquid fieri vnquam potest, vt aberret*
Viam lumen quando immittitur?
Siquidem non tenebræ nos vocarunt, & adduxerunt:
Sed in lumine ambulauimus, & Filus tuus Rex est.
Mar. *Ecce videtis infantem silentem,*

Et Matris domus inanis, & vacua est,
Nullumq; in ea Regis apparet vestigium,
Quomodo ergo eiusmodi incolens domum Rex est?

Mag. *Ecce sanè videmus illum silentem, & quietum,*
Sed Regem, etsi pauperem, vt dixisti:
At videmus etiam eum suo commouere Imperio
Astra Cœli, vt prænuncient ortum eius.

Mar. *Oportet, homines, vt inuestigetis,*
Quis est Rex ille, ac tùm eum adoretis,
Fortè enim viam aberrastis,
Et alius sit ille Rex, quem quæritis.

Mag. *Oportet, puella, credas,*
Filium tuum esse Regem nos esse edoctos
A' luminari, quod errare non potest,
Et via per quam nos adduxit plana quidem est.

Mar. *Paruulus est infans, & ecce vt cernitis,*
Nec diadema Regium habet, nec thronum
Quid ergo videtis, vt honoretis eum
Thesauris vestris vt Regem?

Mag. *Paruulus est, quia ipse voluit,*
Et diligit mansuetudinem,
Et humilitatem: at vbi manifestabitur,
Incuruabuntur illi diademata, ac illum adorabunt.

Mar. *Virtutes nullas habet,*
Neque legiones, neque Cohortes Filius meus,
In paupertate suæ iacet Matris,
Et Rex à vobis quommodo appellatur?

Mag. *Virtutes Filij tui desuper sunt,*
Cœlum equitant, & micant flammis,
E' quorum numero vnus nos vocare venit,
Totaq; perterrita est Regio nostra.

Mar. *Infans est natus, & quì fieri potest,*
Vt Rex sit, cum & mundo sit ignotus,
Potentes autem, ac famosos
Quomodo puer reget?

Mag. *Infans tuus, Virgo, senex est,*
Antiquus dierum, omniumq; primus,
Et quidem Adam illo iunior est,
Et per illum Orbis totus renouabitur.

Mar.

Mar. *Oportet vos sanè, vt exponatis*
Totum mysterium, & aperiatis,
Quis manifestauit vobis Arcanum Filij mei,
Quòd Rex sit in Regione vestra.
Mag. *Oportet te, puella, etiam, vt credas,*
Quòd nisi rei nos impulisset veritas,
Nequaquam huc è finibus terrœ appulissemus
Aberrantes propter Filium tuum.
Mar. *Totum mysterium, vt actum est*
Apud vos in Regione vestra,
Aperite nunc mihi vt amici:
Et quis vocauit vos, vt ad me veniretis?
Mag. *Magna Stella nobis apparuit,*
Reliquis multò splendidior Stellis,
Cuius lumine nostra terra est inflammata,
Et quòd Rex ortus sit, nobis annunciauit.
Mar. *Nollem, vos quæso, loquamini*
Hæc in Regione nostra,
Nè sentientes Reges terræ machinentur
Sua inuidia aduersus Puerum.
Mag. *Nè timeas Virgo,*
Quia omnia diademata soluet Filius tuus,
Eaq; pessundabit,
Nec sua inuidia nocumentum inferre illi valebunt.
Mar. *Herodem timeo*
Lupum pollutum, ne me perturbet,
Et gladinm stringat, quo præcidat
Dulcem Botrum adhuc immaturum.
Mag. *Herodem ne timeas,*
Per Filium enim tuum subuertetur eius thronus,
Et statim atque regnabit, destruetur,
Et eius diadema decidet.
Mar. *Torrens sanguinis est Hyerusalem,*
In eaque optimi quique cadunt,
Quare si hoc præsenserit, machinabitur in illum;
Ideoq; secretò loquamini, precor, & nè tumultuetis.
Mag. *Torrentes omnes, & lanceæ etiam*
Per manus Filij tui sedabuntur,
Et Hyerusalem obstupescet gladius, *Et*

Et nisi voluerit, non cadet.

Mar. *Scribæ & Sacerdotes Hyerusalem,*
Qui sanguinem subdolè effundere solent,
Excitabunt fortè læthale litigium
Aduersus me, & aduersus puerum, Magi, quæso, silete.

Mag. *Scribæ, & Sacerdotes nequaquam valebunt*
Sua inuidia Filio tuo nocere,
Et per ipsum soluetur eorum sacerdotium,
Et solemnitates eorum cessabunt.

Mar. *Angelus aperuit mihi quando concepi Puerum,*
Quòd Rex sit Filius meus,
Et quòd ab alto sit eius diadema, & non soluetur
Ipse quoque explicauit mihi, vt & vobis.

Mag. *Angelus igitur, quem dicis,*
Ipse venit sub specie Syderis,
Et apparuit nobis, atque annunciauit,
Quod Puer maior sit, & splendidior stellis.

Mar. *Explicauit mihi, dum annunciaret*
Angelus ille, qui mihi apparuit,
Quòd Regni eius non erit finis,
Et arcanum seruandum est, ne reueletur.

Mag. *Explicauit nobis & Stella,*
Quòd Regum Dominus sit Filius tuus,
Aspectus igitur eius immutatus est,
Et cum esset Angelus, nobis non indicauit.

Mar. *Mihi cum apparuisset Angelus,*
Dominum suum antequam conciperetur, vocauit eum,
Et Filium Altissimi mihi ipsum prædicauit,
Et vbi sit Pater eius ignoratur.

Mag. *Apud nos prædicauit sub Stellæ specie,*
Quòd Cæli Dominus natus sit,
Et luminaribus dominetur Filius tuus, opertet,
Et absque eius Imperio non oriuntur.

Mar. *Coram vobis ecce aperio*
Aliud Arcanum, vt confirmemini,
Scilicet, Virgo peperi Filium,
Filiumque Dei euntes, prædicate ipsum.

Mag. *Iam nos prædocuit Stella,*

Nati-

Natiuitatem eius extra ordinem eſſe natura,
Et ſuper omnia eſſe filium tuum,
Eundemq; etiam Filium eſſe Dei.
Mar. *Altitudo teſtatur, & profunditas,*
Omneſq; Angeli, ac Stellæ,
Illum eſſe Filium Dei, ac Dominum,
In terram veſtram eius referte nuncium.
Mag. *Altitudo vniuerſa per vnam Stellam*
Commouit Perſidem, & confirmata eſt,
Filium Dei eſſe Filium tuum,
Et omnes gentes ipſi ſubiectum iri.
Mar. *Pacem referte in terram veſtram,*
Pax gliſcat in finibus veſtris,
Veraces veritatis nuncij
Habeamini in toto itinere veſtro.
Mag. *Pax Filij tui nos reducat*
Incolumes in regionem noſtram, vt duxit,
Et cum Imperium eius mundo manifeſtabitur,
Inuiſat terram noſtram, & benedicat illi.
Mar. *Gaudeat Perſis veſtro nuncio,*
Exultet Aſſyria veſtro reditu,
Et quando Regnum Filij mei manifeſtabitur.
In regione veſtra ſuum collocabit vexillum.
Laudes referat exultans Eccleſia,
Quòd natus ſit Altiſſimi Filius,
Illuminauitq; altitudinem, & profundum,
Benedictus, qui ſua natiuitate exhilarauit omnes.

ORA-

ORATIO

Eiuſdem S. Ephræm Syri in Natiuitate Domini.

CHriſte Verbum Patris Cœleſtis, qui homo pro nobis factus es ſine mutatione, & in Bethleem hodie natus es, & factus nobis via, & ianua, per quam ad genitorem tuum ingrediamur: Tu Domine gratiam tuam, & miſericordias tuas immitte nobis, ac ſuſcipe à nobis peccatoribus ſeruis tuis Thymiama hoc, quod in odorem ſuauitatis tibi offerimus, & redde, atque remitte nobis pulchras petitiones noſtras auxilio à theſauris tuis refertas: & ignoſce, atque dimitte nobis omnia illegitima, quæ commiſimus: & concede nobis ſecuritatem, & pacem tuam cum lætitia in hac colenda die tuæ Natiuitatis, & in omnibus diebus vitæ noſtræ, & requieſcere fac fideles defunctos in cœleſtibus manſionibus, vt tam nos, quàm ipſi referamus tibi, & Patri, ac Spiritui tuo ſancto Laudes, Gloriam, & Honorem. Amen.

FINIS.

